



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xj. Ad vulnera tineolarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

guendam tradito, ex hisque commistis & contusis globulos septem facito, quorum singuli sint pondere vnus siliquæ. quotidie dabis accipitri treis pilulas per triduū, ac post treis horas, quam pilulas dederis, vsque illum gestabis, donec ipsas pilulas reiecerit. Potes item aliud facere ex puluere ceramarino, qui recipit sex dactylos: priusquam voces accipitrem, ipsum tegito, ipsumq. puluerem conspersum vino veteri eius faucibus inferes, tumque carnibus suillis vino veteri dilutis eum nutries. Sunt qui cuminum montanum & argalicon misceant cum vino, & dent ex cibo quotidie globulos treis per triduum, & ita excrementa reddat, & persanetur.

Ad eum qui ex pectore strepit.

THVRIS masculi, sulphuris parem modum, cum mellis & vini æquali mensura: misceto & conterito cum suilla carne, dato accipitri comedere, & sanabitur.

Ad vulnera tineolarum.

CVM vides accipitris ventrem & collum glabescere, scito illum tineolas habere. ipsi dabis butyri ligulam, medullæ ceruinæ siliquas treis, myrrhæ siliquam, mel quantum satis sit. hæc miscebis, subiges, quo-

tidie globulos septem ex hircina carne dabis per quinq. dies: ad vltimum globulum dabis fel cum lachryma ceruina & bitumine Iudaico, quantum capit tui gladij mucro, idque in carnem suillā elixam inferes: aut ex synopide tres globulos dabis: aut fel bouis, & fel cerui, & bitumen Iudaicum, mista cum carne edenda præbebis accipitri.

Ad choleram.

SI cholera infestetur, signa hæc sunt. Liquorem viridem euomit. ita purgabis. Betonicæ sextulam, apianæ radicis filiquam, mellis ligulam, atramenti sepiaë ligulam, vini probi quantum satis sit, vna contundes, & cum videbis ipsum bilem euomentem, tum hac compositione sparsas offas septem primo die ex carne dabis, secundo quinque, tertio treis.

Ad exsiccandam pituitam.

COCCVM gnidium purgatum contundito & subigito, vsque dum in butyri lentorem redactum sit, ex quo globulos quinque cõficies, quos melle sparsos dabis ex carne qualibet: quos vbi accipiter sumperit, ad solem exponatur, statimque reddet omnem bilem & pituitam: deinde